



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Fiscus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

Filius potest accusare patrem de hæresi, vel prodicione.
Vid. Mol. d. 176. col. 12 Tol. l. c. cap. 1. n. 10 vide Ales 3. p. 9. 33.
in 4. art. Navar. cap. 14 n. 12.

Filius in ætate imperfecta datur parenti fideli, in perfecta
autem sequitur ipse utrum parentum maluerit.

Fiscus.

1. Ea bona pertinent ad fiscum, quæ pertinent ad delinquentem tunc temporis quo bona ipsius publicantur, modo non sint bona affixa personæ: fiscus enim secuta publicatione succedit in jura (& usufructus, quando id non vetatur) delinquentis. Unde sequitur publicatis bonis alicujus, censei publicata omnia bona mobilia & immobiliã, item actiones, jura, & res censui subjectas; imò ea quæ reo debentur ex contractu celebrato sub conditione, pertinent ad fiscum, secuta conditione, siue ipse fiscus adimpleverit conditionem, siue reus; secus dicendum de bonis futuris, aut quæ post condemnationem reo obveniunt ex ultima voluntate; ut ex legato testamento, vel fideicommissio. Item hereditas quæ relicta fuit criminoso ante patratum crimen, non devolvitur ad fiscum, si criminofus non adierat hereditatem ante publicationem bonorum, imò criminofus potest in tali casu eam in fraudem fisci repudiare, si non sit debitor fisci, aut si eam tacite non acceptaverit; sed non potest illam cedere in favorem alterius *to. 2. de Contract. disp. 3. q. 8. p. ult. § 1 n. 1. & seq.*

2. Publicatis bonis patris criminofus, videtur aliquid reservandum pro alimentis & legitima filiorum, quia par non est ut filii tantum damni patiantur ob parentis delictum: excipit tamen delictum hæresis & læsæ majestatis, in quo propter criminis atrocitatem, filiis delinquentis parentis nihil reservatur, ita exigente bono communi, ut homines ab hujusmodi criminibus arceantur. *ib. n. 15.*

3. Quæres, quænam bona censeantur publicata, quando publicantur bona uxoris criminofæ? Mortuo viro censentur publicata omnia bona dotalia, paraphernalia, & alia quæ ad ipsam uxorem pertinent. Dicitur *mortuo viro*: nam vivente viro, dos non confiscatur, exceptis his casibus: videlicet crimine læsæ majestatis, violentiæ, parricidii, & homicidii. *ib. n. 17.*

4. Bona majoratum, seu bona primogencorum, quæ

R 4

ali-

alicui relicta sunt, non publicantur ob ipsius delictum, con-
solùm quoad dominium, sed neque quoad usumfructum,
illorum bonorum alienatio expresse prohibita est. Excipitur
tamen crimen hæresis & læsæ majestatis divinæ vel huma-
næ; nam ob hujusmodi crimen bona primogeneorum vendi-
cantur à fisco. *ib. n. 20.*

5. Quælibet alienatio facta à delinquente, cui ob deli-
ctum non est interdicta bonorum administratio, & cujus bo-
na non publicantur ipso jure, valida est, modo non sit facta
in fraudem fisci, aut post sententiam. Quod si alienatio facta
sit in fraudem fisci; potest fiscus eam revocare post senten-
tiam, non solùm quoad rem ipsam, verùm etiam quoad fru-
ctus pendentes, qui censentur pars fundi, seu rei quæ confis-
catur *ib. §. 2. n. 1. & seq.*

6. Delinquens qui commisit aliquod delictum, propter
quod bona ipso facto publicantur, & bonorum administratio
interdicitur, graviter peccat, non solùm si alienet bona post
sententiam declaratoriam, cum dicatur alienare bona aliena,
verùm etiam quoties alienat ante sententiam cum peri-
culo gravis damni alterius; ut accidit quando alienat con-
tractu oneroso absque necessitate, non admonito accipien-
te de periculo. *ib. §. 3. n. 4.*

7. Ille cujus bona sunt ipso facto addicta fisco, non tene-
tur ante judicis sententiam restituere bona fisco; non enim
leges humanæ obligant cum tanto incommodo ad pœnam
propria actione subeundam. *ib. n. 5.*

8. Publicatis bonis criminosis, fiscus debet satisfacere de-
bitis contractis ante delictum à criminoso: quod si non om-
nia bona publicentur, sed tantummodo in partem, fiscus te-
netur satisfacere creditoribus ad ratam illius partis quæ
publicatur *ib. §. 4. n. 1.*

9. Is, cujus omnia bona confiscantur, non tenetur restituere
creditoribus, si fiscus non satisfaciat, etiam si criminosis
aliunde acquirat bona, & ad pinguiorem redeat fortunam;
modò bona quæ confiscantur, sint sufficientia ad persolven-
da debita, & modò delinquens ex privilegio Principis rur-
sus non obtineat eadem bona, aut partem. Ratio est, quia
criminosis per confiscationem liberatur ab obligatione erga
debitores, & tota obligatio transmittitur ad fiscum. Dici-
tur, *aut partem*, quia si aliquota pars bonorum restituatur,
tenetur pro rata partis redditæ creditoribus satisfacere. *ib.*